

nem creatiuā, qua animā meā creauit in tempore, & in exercitio
exiuit talis actio, cessauit tale exercitium creandi animam meam
formaliter; quare hoc posito pro vero stāte dicta doctrina Tho-
mistica; dico esse verum antecedens primum; falsam tamen con-
sequētiā; quia licet vera sit in sensu identico, non est talis in
sensu formalī, & per consequens talis influxus non est vniuersus
cum illo, quo influit prima persona Diuina in secundā [si influ-
xus vocari potest] vt dixi supra in responsione ad primam obie-
ctionem in hac subsec̄t. sub n. 8. quia ab exercitio desicere non
potest; nam Pater aeternus semper generat Filium, quia semper
se ipsum intelligit, & se exprimit; & Pater, & Filius semper se
amant ad inuicem, atque semper spirant; & sic tales actiones de-
bent semper inuariatæ manere, sicut inuariatæ manent illæ per
sonæ Diuinæ; quod pro me satis est.

Respondeo 2. concedo antecedens, & nego consequētiā,
quia ego hic non definio causam increatam, sed creatam, pro-
ut omnem causam creatam compræhendit, vt superius dixi in
antecedenti subsec̄t. i. n. 7. vnde euaneſcit contraria obiectione
sicut fumus ante faciem venti.

S V B S E C T I O III.

*Quotuplex sit causa, & quomodo intelligatur eamdem esse
in actu primo & secundo examinatur.*

Indubitatū est omne ens creatum pendere a suis causis,
sive extrinsecis, sive intrinsecis. videbo ergo prius quo-
tuplex sit causa; cūm iam visum sit, quid eadem sit, deinde de-
modo causandi cuiusvis cause examinabo.

11 Assignari solet a philosophis causarum numeris, iuxta
numerum quæstionum, quæ de re aliqua fieri possunt tamquam
ad ejus esse pertinentia: at quia singulis diuersis quæstis sua ra-
tio diuersa redditur, tot erunt causæ, quot erunt quæsita, & ra-
tiones ad quæstum pertinentes; at quia quæsita, quæ cōmūniter
fiunt de quacumque re, quatuor sunt, videlicet ex quo res fit,
per quid res fit, a quo sit, cuius gratia, sive proprie, quid sit.
hinc fit ut cōmūniter quatuor causarum genera assignentur,
quibus causarum generibus sine dubio possit addi quæ intum ge-
nus causæ, quia aliud quæstum fieri potest de re j̄tempore ad cas-